

5 hft.

B. 110.



5

OBSERVATIONVM PHILOLOGICARVM
AD
CLAVDII MAMERTINI
PANEGYRICVM GENETHLIACVM
MAXIMIANO AVG. DICTVM

PARS TERTIA

QVAM

SVB PRAESIDIO

CHRISTIANI GOTTLIB. SCHVVARZII

COM. PAL. CAES. ACAD. ALTORF. SENIORIS ET P.P.
BIBLIOTHECARIJ ET INSPECTORIS NORICI

XIII IAN. A. S. R. CLOIO CCXXXVIII

IN CYCLO ACADEMICO
EDISSERET

CAROLVS SCHRECK, LAVFFA NORIC.
PHIL. ET S. S. THEOL. CVLTOR.

ALTORFII NORICORVM
TYPIS IO. GEORGH MEYERI ACAD. TYPOGR.

ORRERVATIONVM PHILOLOGICARVM
AD
CLAVDII MAMERTINI
PANEGRICVM GENEALOGICVM
MAXIMIANO AVG. DICVVM

PARS TERTIA
SVM RESIDIO

CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII
COM. PAB. CAES. ACAD. ALTORE SENIORIS ET P.
BIBLIOTHECARII ET INSPECTORIS NORICI
XIII. AN. M. DC. LXXXVIII.

IN CITO. MENDENICO
PUBLI. ET
CAROLVS SCHRECK, LAVREA NORICI
PHIL. ET S. THEOL. CALTOR.

AD THEOPH. NORICORVM
TIBIS IO. GEORGI MEYERII ACAD. TYPOG.



CAP. VII. Laurea illa, de uictis accolentibus Syriam nationibus, et illa Raetica, et illa Sarmatica, te, Maximiane, fecerunt pro gaudio

CAP. VII, I.) 104. *Laurea illa.* Vt Mamertinus ostendat, quanta concordia sit inter Diocletianum et Maximianum, nunc commemorat, utrosque etiam uictorias suas habere communes, et Maximianum quidem Diocletiani, Diocletianum uero Maximiani, uictoriis gaudere. Ad Diocletiani uictorias refert uictos Syros, Raetos, et Sarmatas; ad Maximianum, uictos caesosque Cauiones, Eruolos, et Francos piratas. De singulis Mamertinus iam in primo panegyrico, et in superioribus secundi panegyrici partibus egit, u. g. de *Syria*, paneg. I, cap. VII, 5; de *Raetia*, paneg. I, cap. VIII, 1; ad quem locum recte obseruauit Cellarius, manifesto Raeticam uictoriam ibi adscribi Diocletiano, contra plurimum sententiam, qui panegyrici I caput VIII interpretantes, illam Maximiano uindicatum eant. De *Sarmatia* non nihil annotauimus, not. 87, ad hunc ipsum panegyricum.

105. *Accolentibus Syriam nationibus.* Participium, *acolentibus*, in duas uoces, *ac colentibus*, diuisum, perperam euulgarunt, Rhenanus, Duacensis, et H. Stephanus. Rectius id exprimunt scripti excusique libri. Verbum autem *accolere*, i. e. iuxta habitare, admittit eum casum tertium, tum quartum. Priscianus, lib. XVIII, pag. 1203: Nostri quoque, inquit: *Accolunt fluium, et fluuium.* Cicero, in *somnio Scipionis*, cap. 5: *Ea gens, quae illum locum accolit.*

106. *Te fecerunt pro gaudio triumphare*, i. e. effecerunt, ut tu pro gaudio triumphares. Hoc loco *facere pro officere*, aut in causa esse, ponitur, et cum infinitiuo coniungi-

2. gaudio triumphare. Itidem hic gens Cauionum Erulorumque deleta, transrhenana uictoria, et domitis oppressa Francis bella piratica, Diocletianum uotorum compotem reddiderunt.
3. Diuidere inter uos dii immortales sua bene-

iungitur, rariore quidem, sed tamen non prorsus insolenti, loquendi formula. Virgilius, lib. II *Aen. u.* 538: *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti.* Palladius, in *Aprili*, cap. VIII, 3: *Ita singulae apes subinde demissae te facient usque ad locum examinis peruenire.* Conf. Pareus, in *Lexico critico*, pag. 462.

2) 107. *Itidem hic gens.* Nunc Mamertinus recenset uictorias Maximiani, quae tamen etiam ex uoto et cum gaudio Diocletiani euenerint, adeoque comparat uictorias Diocletiani in oriente reportatas cum Maximiani uictoriis in Germania relatis. In altero Gudii libro, e quodam codice MS. particulae, *itidem*, non male adiicitur copula, *que*. At ibidem pariter, atque in nostro codice, praeter necessitatem, *hic*, in *haec*, mutatum deprehenditur. Est enim, *hic*, hoc loco aduerbium, i. e. in hac Germaniae uicina. Mamertinus enim tunc Treuiris orationem hanc habuit. Nihili uero est, quod Puteolanus, Rhenanus, et alii quidam, pro uoce, *gens*, prodidere, *genus*.

108. *Gens Cauionum Erulorumque.* Varie scribuntur haec nomina: *Cabionum*, *Caybonum*, *Chaibonum*, ac male in codice nostro, et Cuspiniani editione, *Carbonum*. Perperam etiam Puteolanus et Nauius, pro *Erulorum*, edidere, *Herculeorum*; melius Rhenanus, et alii, *Herulorum*. De
Cauio-

beneficia non possunt. Obstupescerent certe
 omnes homines admiratione uestri, etiam si
 uo idem parens, eademque mater, ad istam
 concordiam naturae legibus imbuissent. At
 enim, quanto *est* admirabilius, uel pulchrius,
 quod

Cauionibus et Erulis, iam egimus ad Mamertini panegyricum
 I, cap. V, 2, pag. 39 et 41.

109. *Transrbenana uictoria*. Cuspinianus et Rhenanus
 his uocibus praeposuerunt copulam, *et*; sed minus commode,
 ac sine auctoritate codicum ueterum; est enim casus sextus.
 Pro *transrbenana*, codex noster, itemque alius a Gudio
 notatus, habent, *trans Rhenum*. Sed idem Mamertinus etiam
 infra scripsit, cap. XVI, 1: *Sarmaticas uestras, et Raeticas,*
et Transrbenanas, expeditiones.

110. *Domitis oppressa Francis bella*. De Francis iam
 supra, ad cap. V, not. 90, non nihil exposuimus.

4) 111. *Etiamsi uos idem*. Particulae, *etiam*, et *si*,
 hoc loco elegantius uidentur diuidendae, prout sic diuisae in
 codice nostro, item et in Cuspiniani et Rhenani libris, le-
 guntur. Ita et Cicero eas diuisit, u. g. *lib. VII ad Attic.*
epist. 7: Ego bonos uiros, aut eos, quicumque dicuntur boni,
sequar, etiamsi ruant.

112. *Imbuissent*. Codex MS. in altero Gudii libro ha-
 bet, *imbuisset*; sed perinde est.

5) 113. *Quanto hoc est admirabilius*. Verbum sub-
 stantiuum, *est*, exprimunt quidam codices MSS. item in ex-
 cussis Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Nauus, Liui-
 uius: alii omittunt; et poterat sine damno abesse.

quod uos castra, quod proelia, quod pares uictoriae, fecere fratres? Dum uirtutibus uestris fauetis, dum pulcherrima inuicem facta laudatis, dum ad summum fortunae fastigium pari gradu tenditis; diuersum sanguinem
6. affectibus miscuistis. Non fortuita in uobis
est

114. *Vos castra.* Vterque Imperator, sub Probo, Caro, et Aureliano, simul meruerat. *Iac. de la Baune.*

115. *Sanguinem affectibus miscuistis.* h. e. mutua beneuolentia atque amore diuersum sanguinem temperastis, coniunxistisque, ut quasi ex eodem sanguine facti fratres nunc uideamini.

6) 116. *Non fortuita in uobis est germanitas.* i. e. non casu exitit uestra fraternitas, siue fraterna aequalitas, a *germine* sic dicta, quasi eiusdem germinis et stirpis fraternitas ac similitudo. Festus: *Germanitas*, inquit, est *coniunctio inter germanos, qui sunt uelut eadem stirpe geniti.* Hac uoce et ipse utitur Cicero, *pro Ligario, cap. XI: Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt; moueant te horum lacrymae, moueat pietas, moueat germanitas.* Germanitas autem *electa* dicitur certo iudicio singularique animorum consensione inita atque constituta. Vbi nunc legimus, *in uobis est germanitas*; ibi, teste altero Gudii libro, praepositionem, *in*, codex quidam MS. satis commode omisit. Sed uide, quem deformiorem defectum in hoc loco habeat codex noster MS. itemque alii quidam codices, in utroque Gudii libro notati; cum praetermissis tredecim uocibus, ibi haec saltem uerba legantur: *Non fortuita in uobis est germanitas, usque ad imperi-*

est germanitas, sed electa. Notum est, saepe eisdem parentibus natos esse dissimiles: certissima fraternitatis est usque ad imperium similitudo; quae nae etiam intervallum vestrae vincit aetatis, et senio-rem iunio-rem-que caritate mutua reddit aequales: ut iam illud

in similitudo. Quae lacuna in Puteolani *Endosei* tam callida arte oblita est, ut vix acute videntibus appareat. Tbi enim haec legimus: *Non fortuita in vobis est germanitatis usque ad imperium similitudo.* Quam lectionem secuti sunt, Rhenanus, Navius, H. Stephanus. Sed integriorem locum iam exhibuit Cuspinianus; quem deinceps etiam Liivineius, Gruterus, et alii, sunt amplexi. *Similitudo* autem animorum morumque *usque ad imperium*, est, quae etiam in summo imperio communiter retinetur, eaque dicitur indicium certissima fraternitatis.

117. *Quae nae etiam intervallum vestrae vincit aetatis.* i. e. quae similitudo profecto etiam intervallum, siue discrimen, aetatis vestrae vincit, et tollit, adeoque facit, ut, quamvis alter sit senior, alter iunior, nihilo minus tamen per mutuum amorem aequales, atque aetate pares, videamini. Vulgo in scriptis excusisque libris, pro *nae*, legimus, *ne*: sed iam Liivineius ex Caroli Langii monitu verio-rem lectionem in margine editionis suae annotavit; quae lectio similiter Patarolo, in *notis*, probatur. Ita vero etiam alibi istas particulas, *nae* et *ne*, non raro inter se permisceri, docuimus in commentario ad panegyricum Plinii, *Cap. LXX*, 9. Non est ergo, quod pro, *quae ne etiam*, assum-

illud falso dictum sit, NON DELECTARE SOCIETATEM RERVM, NISI INTER PARES ANNOS. Intelligimus enim, sacratissimi Imperatores, geminum uobis, quamuis

namus, *quin etiam*; quod Rhenanus, nescimus unde, adscripsit orae libri sui. Neque attinet, a Valent. Acidalio particulam, *ne*, prorsus abici, quae saltem in *nae* commutanda. Mire uero hunc locum aliquando sic reformare cogitauit Gruterus: *quae ut etiam interuallum uestrae uniat aetatis*; quanquam deinceps, improbata illa reformatione, ipse falsus sit, ignotum sibi sensum esse istorum Mamertini uerborum.

118. NON DELECTARE SOCIETATEM etc. Codex noster in his uerbis uarietatem haud spernendam profert: *Non delectari societate rerum, nisi pares annos*. Quanquam uero eandem lectionem Claud. Puteanus, recte uariarum lectionum libello, etiam in uetere Codice animaduertit; ac praeterea Liuius testetur, in uerbis, *nisi inter pares annos*, praepositionem, *inter*, etiam abesse a codice Bertiniano; nondum tamen audemus a uulgata, eaque omnibus ceteris libris confirmata, lectione recedere. Ceterum huc pertinet prouerbium Graecorum, a Liuius notatum: ἡλιε ἡλικα τεεπει.

7) 119. *Ille cunctatior*. Liuius ex uetere suo codice, et Bertiniano, in ora libri annotauit: *ille cunctantior*. Atque ita uulgo legitur apud Suetonium, in *Caesare*, cap. LX: *ad dimicandum cunctantior factus est*; quanquam et ibi, teste Burmanno, meliores libri, *cunctatior*, et *contatior*, habeant. Retinemus uulgatam lectionem, quae in ceteris libris exprimitur.

uis dispares sitis aetatibus, inesse consensum :
neque tu illi uideris promptior, neque tibi
ille cunctatior ; sed inuicem uosmet imi-
tamini, inuicem uestros affectatis annos.

Sic

mirur. Sic enim etiam Plinius loquitur, *lib. II, epist. 16: Cunctatior fortasse et cautior essem.* Idem, *lib. VIII, epist. 13: Erat enim Corellius cunctatior cautiorque.* Bene ista quasi synonyma coniunguntur ; quia cautiore non statim aggrediuntur negotium, de quo deliberandum est ; sed quasi morantur, et cuncta antea expendunt, aut, quod Verrius ex nautico usu dictum putat, quasi *conto* perterritant, cognoscuntque aquae altitudinem. Vnde alii malunt scribere *contari*, quam *cunctari*. Conf. Seruius ad Virgil. *lib. VIII Aeneid.* 388. Est uero potissimum senum, *cunctari* ; utpote quos diuturna experientia reddit cautiore, et prouidentiores. i. e. *bedachtamer*.

120. *Affectatis annos.* Verbum, *affectare*, pertinet ad *μέσα*, siue *media et communia*. Aliquando enim simpliciter significat, intendere, studiose quaerere, et appetere. Id si sit naturae et rationi conuenienter, in laude ponitur, prout Cornelius Nepos, in *Attico*, *cap. XIII*, dixit, *Atticum omni diligentia munditiam non affluentem affectasse*, i. e. studiosum fuisse munditiae non affluentis. Conf. notam nostram ad Panegyricum Plinii, *cap. XX, 2, pag. 45*. Cum quadam autem reprehensione is dicitur aliquid *affectare*, qui nimis ambizioso et sollicito studio quaerit, aut per simulationem accersit, quod assequi nequeat, refragante natura. Vnde Quintilianus, *lib. I instit. orat. cap. 6: Nihil*, inquit, *est odiosius affectatione.* Hoc loco Domitianus et Maximianus

N

anus



Sic uos fertis quasi ambo iuniores, ambo seniores. Neuter plus suis moribus fauet: uterque se uult hoc esse, quod frater est.

CAP.

anus, Imperatores, cum laude dicuntur *inuicem suos affectare annos*, i. e. alter alterius aetatis mores studiose imitari, atque similes referre: cum alioqui senior alter, alter iunior esset.

121. *Sic uos fertis quasi ambo iuniores, ambo seniores.* In Puteolani, Cuspiniani, Nauii, H. Stephani, Liuiueii, Gruteri, Puteani, et Iac. de la Baunc, libris legimus: *Sic uos estis iuniores, ambo seniores.* De qua lectione recte iudicat Gruterus in notis: *Non satisfacit auribus illud, uos: mallem, transformaretur in ambo, legereturque: sic ambo estis iuniores, ambo seniores.* Quam lectionem Cellarius et Patarol adoptarunt: quamquam nec male referibendum censuerit Acidalius: *Sic uobis estis iuniores ambo, ambo seniores.* Sed non opus est sola coniectura; cum pleniorum uidiorem lectionem probet codex noster; quam alius etiam codex MS. in utroque Gudii libro annotatus confirmat, et quam in contextu exhibemus. *Sic uos fertis quasi ambo iuniores*, i. e. sic uos geritis ostenditisque ambo quasi iuniores, nempe alter, Maximianus, aetate; alter, Diocletianus, imitatione Maximiani; et uicissim seniores. Ita nempe etiam apud alios scriptores inuenimus, *ferre se*, dici pro gerere et ostendere se. u. g. apud Ciceronem Coelius, *epist. 4, lib. VIII ad famil.* ait: *Vt se fert ipse.* i. e. qualem se gerit ostenditque ipse. Sic et Tacitus, *I. Annal. cap. 21, ferre se consularem*; et *lib. XII Annal. cap. 37, ferre se socium imperii*; i. e. gerere se tanquam consulem, tanquam socium imperii.

Sue-

CAP. VIII. Inde igitur proxime illa impatientia uestrae pietatis *erupit*; quod uos nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas loco.

Suetonius, in *Augusto*, cap. 32: *Grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro.* Virgilius, lib. XI *Aeneid* u. 779: *Captiuo siue ut se ferret in auro uenatrix.* Idem, lib. VIII *Aen.* u. 597: *Ibat, et ingentem sese clamore ferebat, i. e. gerebat se tanquam ingentem.* Immo, *se ferre*, siue *ferri aliquo*, etiam dici aliquando solet pro *ire*, *incedere*, *procedere*. Virgilius, lib. II *Aen.* u. 503: *Talis erat Dido; talem se laeta ferebat, i. e. incedebat, per medios.* Idem, lib. I *Aen.* u. 314: *Cui mater media sese tulit obuia silua. i. e. obuiam iuit in media silua.* Florus, lib. III, cap. 3: *Tripertito agmine per Alpes ferebantur. i. e. procedebant.* Possis hanc notionem ad hunc ipsum quoque locum commode transferre, ut Mamertinus dixerit. *Vos fertis, i. e. inceditis, ambo iuniores, ambo seniores.* Incessu enim potissimum distinguitur aetas; cum iuniores promptiore et alacriore, seniores grauiore, utantur. Sed in hae parte laudis Mamertinus non nisi argutias rhetoricas captare uidetur.

122. *Vterque se uult hoc esse.* Credas, pronomen, *se*, hic abundare. Mamertinus enim recte dicere potuisset: *Vterque uult hoc esse*; prout Martialis, lib. X, *epigr.* 47, dixit: *Quod sis, esse uelis, nihilque malis.* Neque enim Martialis necesse habuit dicere: *Quod sis, te esse uelis.* Nihil tamen mutamus; cum eodem modo etiam loquatur Plinius, lib. X *epist.* 3: *Malui, hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus essem et securus, et felix.*

CAP. VIII, I.) 123. *Ille impatientia uestrae pietatis erupit. i. e. ille uehemens ardor mutui amoris uestri quasi*

locorum, nulla tempestatis asperitas, retinere,
 aut morari, potuit, quo minus ad conspectum
 2. uestri peruolaretis. Neque enim illud progressio
 fuit,

cum impetu quodam se exeruit. Ita Mamertinus etiam supra, cap. III, 1, dixit, *pro amoris impatientia*. Ita et ipse Cicero coniunxit, *effervesce et erumpere*, orat. de prouinc. consul. cap. III: *Totum Pontum armatum, effervescentem in Asiam atque erumpentem - sustinerent*. Quondam hic locus ualde corruptus fuit. In ipso Codice nostro sic legitur: *ille in praesentia uestrae pietatis erupit*. Quam lectionem etiam Gudius ex alio codice annotauit. Puteolanus, Rhenanus, Nauius, H. Stephanus, Liuineius, Riuius, habent: *ille impatientiam uestrae pietatis irrupit*. Melius Cuspinianus: Gruterus, et recentiores: *illa impatientia uestrae pietatis irrupit*. Maluimus tamen pro uerbo, *irrupit*, reponere, *erupit*; cum hoc in nostro codice, et utroque Gudii libro, deprehendatur.

124. *Aut morari*. Liuineius testatur, haec uerba abesse a suo codice uetere; ut sic quasi ex glossa in alios libros transiisse uideantur. Tuemur tamen lectionem uulgatam, cum et ipse Cicero similia coniungat, lib. XII, epist. 15, *ad famil. detinuerunt nos et demorati sunt*.

125. *Peruolaretis*. Liuineius existimauit, rescribendum esse, *prouolaretis*. Quod et in priore Gudii libro annotatum est; sed, quamuis praepositiones *per* et *pro* ex scribendi compendio frequenter confundantur; retinemus tamen uulgatam lectionem, quam expressis literis etiam tuetur nostri Codicis MS. suffragium. Sic etiam Ciceroni usitatum est hoc uerbum, u. g. in *Somnio Scipionis*, cap. VIII: *Sunt autem*

fuit, nec itineris confectio, nec solitis adminiculis usa properatio. *Quid simile concitus eques*, 3. aut ueliuola nauis? Diuinus quidam impetus fuit,

autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus uelocius in hanc sedem et domum suam peruolabit. Et pro Sext. Roscio Amer. rap. VII: Cum post horam primam noctis occisus esset Sex. Roscius, primo diluculo nuntius hic Ameriam uenit: decem horis nocturnis, sex et quinquaginta millia passuum cisis (i. e. genere uehiculi Gallici) peruolauit. Adde Ouidium, lib. II Fastor. u. 251: Coruus et aerium peruolat altus iter. Sed neque ulla opus est mutatione, quod in proximis uerbis, pro numero singulari, itineris, codex noster, aliique quidam Gudiani, habent in numero multitudinis, itinerum.

3.) 126. *Quid simile concitus eques?* i. e. *Quid simile huic incredibili celeritati uestrae habet, siue facit, concitus eques, aut ueliuola*, h. e. quasi uelis uolans, nauis? Hic locus mire deprauatus adhuc iacuit. Puteolanus, Cuspinianus, H. Stephanus, ediderant: *Quod simili concitu eques*. Vitiosus Nauius: *Quod simili concitu eques*. Acidalius, et alii quidam, putarunt, legendum: *quo simili concitu eques*. Iacobus de la Baune et Patarol, secuti coniecturam Caroli Langii, dedere: *Quis simili concitu eques*. Cellarius: *Quid simili concitu eques*. Noster stomachus non satis concoquere potuit illud substantiuum, *concitu*, cuius usum frustra quaesieris extra hunc Mamertini locum: at participium, *concitus*, pro *concitatus*, est usitatissimum. Consultuimus ergo codicem nostrum, in quo haec uerba sine compendio scripta offendimus: *Quid simili concitus eques, aut ueliuola nauis?*

N 3

Eadem

fuit, quo repente in eundem locum ab utroque solis aduerso fine uenistis: ipsos siquidem, quos praemiseratis, nuntios reliquistis; ipsam, quae uos conata est praeuenire, famam praeuertistis, ut, absque paucissimis, qui uobis comites haerere potuerunt, ceteri homines fortasse crediderint, quod ita dignum *est* maiestate uestra, diurna uobis et nocturna curricula

Eadem uerba Gudius ex alio codice MS. adscripsit alteri libro. Etiam Liuiueius pro *quo*, uel *quod*, uel *quis*, ex suo uetere codice annotauit, *quid*. Vna ergo literula *i* in *e* mutata, pro *simili*, ausi reponere, *simile*, genuinam, ac certe congruentem lectionem reddidimus Mamertino; prout hanc lectionem etiam Grutero in mentem uenisse, animaduertimus. Eiusdem generis formulae etiam alibi occurrunt. u. g. apud Auctorem incertum VIII Panegyrici, Constantino Augusto, cap. XIII, 5: *Quid simile fabulae ferunt?* Lat. Pacatus, cap. XXXIII, 3: *Quid in ceteris saltem simile deprehendimus?* Ipse Cicero, lib. II de diuinat. cap. XXX: *Postremo, quid simile habet passer annis?* Equidem in Mamertino est ἄλλοις, ubi intelligas, uel *habet*, uel *facit*, uel *est*. At quid frequentius ἄλλοις in interrogatione, et admiratione? Ipse Mamertinus, cap. proximo VIII, 1: *Sed qua tandem uice temporum? quo tempestatis habitu?* scilicet, accelerastis, siue peruecti estis ad uos.

127. *Ab utroque solis aduerso fine. i. e.* ab oriente et occidente: ab oriente uenit Diocletianus, ab occidente Maximianus.

128. *Quos*

cula utraque mundi lumina commodasse.
Sed remoueamus istinc fabulas imperito- 4-
rum; uerum loquamur. Vestra uobis pie-
tas, sacratissimi Imperatores, uolucres dedit
cursus. Etenim, cum nihil sit animo uelo- 5-
cius, uos, quorum igneae immortalesque
mentes minime sentiunt corporis moras,
peruecti estis ad uos mutua desiderii celeritate.

CAP.

128. *Quos praemiseratis.* Perperam edidit Liuienius:
Quos promiseratis.

129. *Absque paucissimis.* i. e. exceptis paucissimis, siue
praeter paucissimos. Sic enim, *absque*, illo acuo est adhi-
bitum. Vide *Cur. posterior. cap. 6.* Cellarius.

130. *Quod ita dignum est m. u.* Pro particula, *ita*,
Liuienius in Bertiniano codice inuenit pronomen, *id*. In
nostro codice neque *ita*, neque *id*, deprehendimus: saluam
tamen relinquimus lectionem ex rot aliis libris uulgatam.
Pronius uero ex nostro codice arripuimus uerbum substanti-
uum, *est*; cuius locum ad hunc usque diem copula, *et*,
in plurimis libris occupauerat; quamuis uerbum, *est*, iam
etiam Cuspinianus euulgarit. Sed non audimus Acidalium,
qui pro, *fabulas imperitorum*, rescribere maluit, - *fabulas*,
Imperator.

131. *Utraque mundi lumina.* i. e. Solem et Lunam; quo-
rum illum quadrigis, hanc bigis, uchi, fabulati Poetae. *Patarol.*

5) 132. *Corporis moras.* Noster codex, et Cuspi-
nianus, numero multitudinis habent, *corporum moras*.

133. *Ad uos.* Hucusque in omnibus libris excussis
legi-

CAP. VIII. Sed qua tandem uice temporum? quo tempestatis habitu? nempe hieme saeuissima, et in his quoque regionibus inusitata: cum agros glacies, glaciem niues,

legimus, *ad nos*. Verum, cum Diocletianus ex Asia, et Maximinianus, e Galliis, festinatissimis itineribus, in Italiam se conferrent, non tam ut populos tunc inuiserent, quam ut ipsi *mutua desiderii celeritate*, congrederentur, de rebus arduis deliberaturi; nihil dubitauimus, pro uoce, *nos*, reponere, *uos*: maxime, cum hoc pronomen secundae personae non solum in codice nostro inuenerimus; sed idem etiam Liuineius in duobus codicibus MSS. neque minus Gudius in aliis, obseruarint.

CAP. VIII, I) 134. *Qua uice temporum?* Vt Horatius, *lib. I od. III*: *Soluitur acris hiems, grata uice ueris et Fauoni*. Cellar.

135. *Cum agros glacies, glaciem n. p.* Obscuratus est hic locus in quibusdam antiquis libris. In ipso codice nostro, et altero Gudii libro, scriptum est: *cum algor, glacies, niues, premerent*. Quam lectionem non reuersemus, si uox, *agros*, uel post particulam, *cum*; uel post uerbum, *premerent*, adesset. Nec sanus est hic locus in libris antiquitus impressis. Puteolanus, Rhenanus, Nauius, H. et P. Stephani, ac Liuineius, edidere: *cum algor, glacies, glacies niuem, premerent*. Sed ueriores lectionem, quam et nos exhibemus, iam primus prodidit Cuspinianus; quem et recentiores sunt secuti.

niues, premerent, coelo pariter ac terris uniformibus: cumque ipsi anhelitus hominum circa sua ora concreti rigore canescerent. Adeo, 2. ut res est, aduersus inclementiam locorum ac

136. *Coelo pariter ac terris uniformibus.* h. e. cum coelum pariter et terra niue candida ubique albescerent. Iac. de la Baune. *Vocabulo, uniformis*, iam etiam auctor *dialogi de causis corruptae eloquentiae* usus est, cap. 32.

2) 137. *Vt res est.* Frequens panegyristis formula, qua statum praesentem significant, aut approbant. Eumenius, *de restaur. schol.* cap. XVIII, 4: *Adeo, ut res est, aurea illa saecula, quae non diu quondam Saturno Rege uiguerunt, nunc aeternis auspiciis Iouis et Herculis renascuntur.* Incertus auctor *panegyri. Maximiniano et Constantino dicti*, cap. III, 1: cap. VIII, 2; et cap. XIII, 2; et soli *Constantino*, cap. XVI, 5; item Eumenius, in *paneg. Constantii Caesaris*, cap. VI, 4, et cap. VIII, 3. Cellarius; quae uero testimonia etiam annotauit Liuiueius. Ita autem etiam Cicero fere similiter loquitur. u. g. *lib. V, epist. II: Si uero improbus, ut est, duces eum captiuum.* Idem, *lib. XIII, epist. VII, 4: Et primum uelim existimes, quod res est, etc. i. e. quod uere ita se habet.* Et Terentius, *Adelph. A. II, Sc. I: Id quod res est, i. e. quod uerum est.*

138. *Inclementiam locorum.* Perperam Puteolanus et Nanius edidere: *clementia locorum.* Nec placet Liuinei, *clementiam.* Rectius Cuspinianus, Rhenanus, et alii sequentes, euulgauere, *inclementiam*; quam lectionem etiam confirmat codex noster. *Inclementia* hoc loco *μεταδοξικος* dici-

ac siderum uestrae uos maiestatis potentia tuebatur, et, ceteris hominibus atque regionibus ui frigorum adstrictis et oppressis, uos solos aurae lenes, uernique flatus, et, diductis nubibus

dicitur asperitas, iniquitas, rigor, et horror, *locorum atque siderum*; sicut ex aduerso dicitur, *coeli, aestatis, hiemis, clementia*, etc.

139. *Aurae lenes*, - - et *diductis nubibus*. Non probamus, *aurae leues*; quod legitur in Puteolani, Rhenani, Nauii, et H. Stephani, libris impressis: multo aptius scriptum est in codice nostro, *aurae lenes*; quam lectionem etiam cetera exemplaria excusa produnt. *Aurae lenes* et *placidae* opponuntur *acribus* et *asperis*. Etiam, *diductis nubibus*, melius est, quam *deductis nubibus*; quam posteriorem lectionem Puteolanus, Nauius, et alii quidam, euulgarunt. *Deducere*, est de loco ad alium locum aliquem ducere; at *diducere*, est coniunctas res uel homines diuidere, distrahere, dispellere; quod magis huic loco congruit; ubi etiam iam Cuspinianus edidit, *diductis*; quamquam non nesciamus, librarios frequenter confudisse, *lenis*, et *leuis*; item, *deducere*, et *diducere*. Ad hunc locum haec commentatur Gruterus: Duo codices, *diductis*; quod et probatur Puteano, firmabatque isto Ciceronis in Arati Phaenomena: *Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem coeperit, et subit s auris diduxerit Ara.*

3) 140. *Tanta facilitate*. Pro *facilitate* in non paucis libris editum erat, *felicitate*; sed in nostro codice scripta est lectio uerior; de qua haec Gruterus: *Ecce illud, felicitate*; quod diceretur, reperiri alterum in codicibus binis, efficit.

nubibus, ad itinera uestra directi solis radii sequebantur. Tanta facilitate, illa, quae tunc aliis forent inaccessibilia, superastis, atque inde Iulias, hinc Cottias Alpes, quasi relictas

esserque huic loco conuenientius. Annotauerat uero hanc ipsam lectionem iam Liuineius e codice uerere, et e Cuspiniani editione.

141. *Forent inaccessibilia. Vox, inaccessibilis*, ignota fuit melioribus saeculis linguae Latinae; usurpata tamen inuenitur a scriptoribus ecclesiasticis. Sic interpret uulgatus, isque Latinus, I ad *Timoth.* VI, 16: *Et lucem inhabitat inaccessibleem*; qui tamen, *Iob.* XXXVIII, 31, melius: *In praeruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus*. Immo et auctor incertus *Paneg. Maximiano et Constantino dicti*, cap. VIII, ait: *inaccessis (non, inaccessibilibus) montium iugis*. Et Latinus Pacatus, *Paneg. cap. XXII*, 2: *gentes aeternis arduibus inaccessis*. Iam enim, *inaccessus*, a, um, probatis auctoribus dicitur is, qui accedi non potest, aut non debet. Sic Plinius, *Paneg. XXXXVIII*, 3: *Haec arx inaccessa; hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere*. Ad quem locum adire licet notam nostram. Conferatur et Seruius ad *Virgil. lib. VIII Aen. u.* 195: *Facies, quam dira tegebat Solis inaccessam radiis*; ubi ait: *Inaccessus* est participium sine uerbi origine. *Inaccedor* enim non dicimus. Ita uero etiam dicitur *illaudatus, iniunctus*, etc.

142. *Inde Iulias, hinc Cottias Alpes*. Diocletianus per Iulias Alpes ex Pannonia; Maximianus per Cortias ex Gallia, in Italiam ad Mediolanensem colloquium conuenerunt. *cap. XI. Cellarius. Alpes, series montium, qui Italiam a Germania*

relictas aestu arenas patentium litorum, trans-
 4. curristis. Eant nunc rerum ueterum praedi-
 catores, et Hannibalem illum multis labori-
 bus,

mania et Gallia separant. Horum longitudo est 3000 sta-
 diorum, teste Liuius. Pro uaria autem locorum diuersitate
 uaria fortiuntur nomina. Sic Alpes aliae sunt Iuliae, aliae
 Cottiae, uel Cottiae, aliae Graiae, aliae maritimae. etc. Iac.
 de la Baune. *Alpes Cottiae*, nunc *Mont Cenis* Gallis, Alpi-
 um pars sunt in Sabaudiae Ducatu, Italiam a Gallia dirimens,
 et Taurinensem ditionem a Delphinatu. *Iuliae*, Italis *Alpi del*
Friuli, Italiam a Germania seiungunt, inter Carinthiam et
 Forum Iulii. *Laur. Patarol.* Ceterum *Alpium Iuliarum*,
 quae a Iulii Caesaris transitu nomen inuenisse perhibentur,
 praeter tot alios scriptores meminit etiam Tacitus, *lib. III*
Histor. cap. 8: Interiectus exercitus, Rhaetiam Iuliasque Al-
pes, ne peruium illa Germanicis exercitibus foret, obseperat.
 Ad quem locum notat Lupanus, *ab ortu in occasum euntibus,*
post Carnicas Alpes, Iulias occurrere, quae a Taruifio, (non
 procul a Foro Iulii) *in Noricum et Austriam perducunt.*
 Occasum uersus fuere *Alpes Cottiae*, siue *Cottianae*, per
 quas, teste Tacito, *lib. I Histor. cap. 87*, patebat Galliarum
 aditus; et in quibus quondam fuit regnum *Cottii Reguli*, cuius
 historiam exposuit Marcellinus, *lib. XV, cap. 12*; ubi inter
 alia haec scribit: *In his Alpibus Cottis, quarum initium a*
Segusione est, praecessum erigitur iugum, nulli fere sine discrimi-
nine penetrabile.

143. *Relictas aestu arenas.* De aestu maritimo, eo-
 que maxime recedente, loquitur Mamertinus. *Virgilius,*
lib. I Aen. u. 112: Furit aestus arenis.

4.) 144.

bus, magnaue exercitus sui diminutione,
Alpes penetrassè mirentur! Vos, inuictissimi
Imperatores, prope soli Alpium uias, hiber-
nis

4) 144. *Eant nunc rerum ueterum praedicatores.*
Inest in his uerbis quaedam figura *παρρησία*, qua aliquando
ad reprehendum, aut refutandum, cum concessione
εἰρωνία, utuntur oratores et poetae. Similiter Latinus Pa-
catus, *Paneg. cap. XVII, 1*: *Eat nunc sui ostentatrix uctu-*
stas, et illa innumeris literarum uulgata monumentis iactet
exempla! Pirithoi fidem praedicet, etc. Incertus auctor *paneg.*
Constantino Aug. dicti, cap. XXIII, 1: *Ite nunc omnes, si*
uolacis, barbarae nationes, et exitiales uobis mouete con-
atus; habetis exemplum. Petronius, *cap. 115*: *Ite nunc mor-*
tales; et magnis cogitationibus pectora implete! Virgilius, *lib.*
VIII Aen. u. 634: *I, uerbis uirtutem illude superbis!* Pro-
percius, *lib. VIII, eleg. XVIII, u. 17*: *I nunc, tolle animos,*
et tecum finge triumphos! Ouidius, *Epist. Heroid. III, u.*
127: *I nunc, tolle animos, et fortia facta recense!* Idem, *lib.*
I Amor. eleg. VII, u. 35: *I nunc, magnificos uictor molire*
triumphos!

145. *Et Hannibalem - - Alpes penetrassè mirentur.*
Iter Hannibalis per Alpes, praeter ceteros, describit Liuius,
lib. XXI, cap. 35; atque idem, *cap. 38*, miratur, ambigi,
quam Alpes transierit Hannibal: aitque, homines ulgo
credere, transgressum Pennino, atque inde nomen iugo Al-
pium inditum; Coelium uero, per Cremonis iugum, dicere
transisse. Apud eundem Liuium, *lib. XXI, cap. 41*; testa-
tur Scipio, Hannibalem se tulisse *aemulum itinerum Herculis.*
Inde et Silius, *lib. III Punicorum*, ab initio, Hannibalem

nis niuibus obstructas, diuinis uestigiis aperuistis; ut quondam Hercules per eadem illa culmina Iberiae spolia incomitatus abduxit.

CAP.

ob transitum per Alpes Herculi aequat: *Fama per Ausoniae turbatas spargitur urbes, Nubiferos montes et saxa minantia coelo Accepisse iugum, Poenosque per inuia uectos; Aemulique Herculei iactantem facta laboris Descendisse ducem.* Sicut autem ueteres Hannibalem, propter illum transitum per Alpes, aequarunt Herculi; ita hoc loco Mamertinus ex eadem causa Maximianum Imperatorem aequat, immo praefert, utrisque.

146. *Vt quondam Hercules.* Vulgo quidem mythologi et historiae auctores istum Herculis per Alpes transitum memorant; et Silius etiam, *lib. III, u. 496*, ita canit: *Primus inexpertas adiit Tiryntibus arces; scindentem nubes, frangentemque ardua montis spectarunt superi.* etc. Ille ipse tamen Herculis transitus a Liuiο, *lib. V, cap. 34*, *fabulis annumeratur.* Conf. Cluuerius, *lib. I Ital. Antiq. cap. I.*

147. *Iberiae spolia incomitatus abduxit.* Illa spolia fuisse boues, quos ex Iberia, siue Hispania, abegisse dicitur Hercules. Qua de re Iustinus, *lib. XXXXVIII, cap. 4*, haec breuiter refert: *In alia parte Hispaniae, et quae ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli laetitia est, ut, nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quae illis temporibus solae opes habebantur, tantae famae fuere, ut Herculem ex Asia praedae magnitudine illexerint.* De Gery-

ONE

CAP. X. Tum, si fortunae caussaeque Hannibal-
 is ac uestrorum itinerum comparentur,
 quanto haec uestra itinera diis hominibusque
 acceptiora sunt? quanto laude ac sempiterna
 memoria

one Servius ad Virgilium, lib. VII Aen. 662: *Geryones, inquit, Rex fuit Hispaniae, qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis praefuit, quae adiacent Hispaniae: Balearicae maiori, et minori, et Ebusae.* Ceterum, pro sequente uocabulo, *incomitatus*, codex noster habet simplex, *comitatus*; sed perperam. Ideo enim Diocletianus et Maximianus comparantur cum Hercule; quia, uti Hercules incomitatus per Alpes abduxit boues; ita hi Imperatores prope soli Alpium uias aperuisse perhibentur. Vocabulo autem, *incomitatus*, ipse usus est Cicero, lib. I de orat. cap. 55.

CAP. X, 1) 148. *Tum, si fortunae, etc.* Particula, *Tum*, hic poni uidetur pro, *Praeterea*. In codice nostro et altero Gudii libro, non *tum*, sed *tamen*, legitur; quae lectio non parum nobis arridet, si per colon a superiore sententia distinguatur. Potuit uero ex *tam*. per compendium pro *tamen* scripto illud uulgatum, *tum*, facile nasci. Inde uero haec sententia existit: Domitianus quidem et Maximianus aequarant Herculem transitu per Alpes: *tamen*, ex respectu fortunae caussaeque, itinera istorum Imperatorum multo habebantur digniora laude.

149. *Quanto haec uestra itinera etc.* Haec lectio pro-
 dita est a Cuspiniano, atque annotata etiam in Gudii libro
 prioris; quae mire nobis placet: neque enim repetitio illa
 uocabuli, *itinerum*, abundare, sed orationem potius ornare,
 multoque clariorem reddere, uidetur.

150. *Quanto laude - - digniora.* Recte, quanto,
 non

memoria digniora? Tunc, Poeno ex summis
Alpibus uiso, Italia contremuit, statim pecu
agroque deserto, omnes familiae rusticanae
filuas

non *quanta*; quia cum *digniora* componitur. Cellarius.
Interim, *quanta*, legitur in nostro codice, item et in Pute-
colani, Rhenani, Nauii, et H. Stephani, libris.

151. *Tunc, Poeno ex summis* etc. *Poenus* per *αυτονομασία* ponitur pro duce Poenorum, siue Carthaginensium, Hannibale. Ita uulgatum illud: *Hannibal ad portas!* exprimit Latinus Pacatus, in *paneg. cap. XXXXVI. 3; Portis imminens Poenus*. Carthaginenses enim *Poeni*, quasi *Phoeni* dicti, quia originem duxere a Phoenicibus. In quibusdam scriptis impressisque libris pro *Poenno* mendose positum est *poenae*; nos-
ter autem codex recte tuetur receptam lectionem.

152. *Pecu agroque deserto*. Verba haec uarie scripta et excusa inueniuntur. Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Nauius, Liuius et Paulus Stephanus, edidere: *pecua agrique deserta*. Henr. Stephanus, Duacensis, Gruterus, Puteanus, Patarol: *Pascua agrique deserta*. Ad quem locum Patarol haec annotauit: *Retinui, quod erat in editione Parisiensi, A. 1655. In aliis est Pecua, non male; scimus enim, ueteres, quod modo pecus, pecudis, dicimus, hoc pecus, haec pecua, plurale dixisse! Vide, plura apud Priscianum, lib. VI. Hinc Papinio, Sylv. lib. III, carm. 3, dictum: Pecuaria culta Galesi. Jac. de la Baune et Cellarius prodidere: pascua agrique deserti. In nostro codice, et altero Gudii libro, legimus: pecu agroque deserto. Atque ita etiam Puteanus ex uelligiis ueteris codicis legendum censuit. Non indignam horum codicum auctoritatem iudicauimus, cui locum*

filuas et ferarum cubilia petiuere. Quo nuntio ^{3.}
 accepto, omnibus oppidis matres Italae pensa e
 manibus abiecerunt, paruos liberos abreptos
 ad

locum daremus; sic enim sequentia uerba aptius cohaerent,
 nec desideratur copula, *et*. Nec est, cur uox, *pecu*, nobis
 serupulum moueat; cum ea sit indeclinabilis in singulari; in
 plurali faciat, *pecua*, *pecuum*, *pecubus*; qua uoce Plautus,
 Cato, Varro, Lucretius, Liuius, Solinus, Apuleius, et alii,
 sunt usi.

153. *Siluas et ferarum cubilia*. Puteolanus, Rhe-
 nanus, Nauius, et Duacensis, (ita uoco editorem anony-
 mum *Latino-Atticorum Oratorum*, siue *Panegyricorum di-*
uerforum, cum ueterum, tum recentiorum scriptorum, Duaci
in officina typographica Baltazaris Belleri MDXCV impresso-
rum, 8.) pro casu quarto, *siluas*, euulgarunt casum secun-
 dum, *siluarum*; sed Cuspinianus, ceterique, rectius habent,
siluas: cui lectioni etiam codicum scriptorum auctoritas suf-
 fragatur.

154. *Matres Italae pensa e manibus abiecerunt*. Codex
 noster pro uoce, *Italae*, habet *Italiae*; deinde praepositio-
 nem, *e*, omittit; quam etiam aliquot antiquiores libri excusi
 omiserunt. Possit ita scribi legique; sed utrobique nihil mu-
 tandum censemus.

155. *Liberos abreptos*. Liuius in margine libri
 sui coniecit, fortasse legendum esse, *liberos arreptos*; et hanc
 ipsam scripturam Gudius in priore libro, nescimus unde,
 annotauit. *Liberi abrepti* alioqui dicuntur, qui ui quadam

P

e pa-

ad templa traxerunt: ibi aedes sacras passō capillo suo quaeque uerrebat; *uario* planctu ploratu-

e parentum sinu complexuue ab aliis auferuntur. Cicero, *lib. I in Verrem*, cap. 3: *Qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.* Hic uero Mamertinus loquitur de matribus, quae, pensis e manibus abiectis, prae metu, e terra, uel aliunde, subito *arriperent liberos*, ut eos gestarent, uel secum deducerent in templa, ad opem deorum implorandam. Ad quem ritum respexit Stautius, *lib. X Theb. u. 50. seqq.* *At procul Argolici supplex in margine templi Coetus, et ad patrias fusae Pelopides aras Sceptraferae Iunonis opem, reditumque suorum, Exposcunt, pietasque fores, et frigida uultu Saxa terunt, paruosque docent procumbere natos.* Malimus igitur hic recipere, *arreptos*, nisi dissensus omnium librorum uulgatorum, et ipsius codicis nostri, obstaret. Nullius autem pretii uarietas est, quando Nauius et Liuius non, *paruos*, sed *paucos, liberos*, edidere.

156. *Aedes sacras passō capillo suo quaeque uerrebat.* Mos matronarum, in magnis malis aras crinibus uerrere. Liuius, III, 7: *Stratae passim matres crinibus templa uerrentes, ueniam irarum coelestium, finemque pesti, exposcunt.* Silius VI, u. 560: *Ast aliae laceris canentes crinibus alta Ferrunt tecta deum.* Cellarius. Alia huius ritus exempla doctissimus Drakenborchius annotauit ad citatum Sillii locum. u. g. ex Liuius, *lib. XXVI, cap. 9: Ploratus mulierum non ex priuatis solum domibus exaudiebatur; sed undique matronae, in publicam effusae, circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis*

ratuque futuris cladibus omina dabant; Thra-
fymenum et Cinnas dolore praefago praecine-
bant.

passis aras uerrentes. Conferatur Barthius, *lib. XXXXVI Aduersar.* et Turnebus, XXVIII, 30. In codice nostro, pro uoce, *passos*, legimus, *sparsos*, non quidem incommode: retinemus tamen uulgatam uocem, cum ea in eodem ritu describendo etiam usus sit Liuius. Contra uero ex nostro codice in proximis uerbis adsciuius uocem, *uario*, quae abest ab aliis libris; a Liuiueio tamen etiam e codice Bertinensi in margine annotatur. In uerbis, *quaeque uerreat*, optaremus, ut, abiecto pronomine, *quaeque*, legeretur, *uerrebant*.

157. *Omina dabant.* Ita recte, et suffragio codicum ueterum, et sententiae oratoris congruenter, legimus; cum Puteolanus, Nauius, et adhuc Patarol, petperam euulgarint, *omnia dabant*.

158. *Thrasymenum et Cinnas.* Thrasymenus, Hertruriae lacus, nunc *Lago di Pressignano*, ubi Romani clade ingenti, duce Flaminio, ab Hannibale fusi sunt. *Cannae*, Apuliae urbs, seu uicus ignobilis, ut mauult Florus, *lib. II, c. 6*: cuius nunc ruinae tantum supersunt; ubi ab Hannibale pariter Romani, ducibus Aemilio Paulo, et Terentio Varone, profligati, ac paene deleti, quadraginta millium caede. *Laur. Patarol.*

159. *Praecinebant.* i. e. quasi praedicebant et uaticinabantur. Vulgo editum est, *praecanebant*; sed sequimur scripturam codicis nostri, et Gudii, et Puteolani. Sunt quidem, qui, *praecinere*, et *praecanere*, ita distinguenda putent, ut illud ad rem musicam, hoc ad diuinationem et uati-

4. bant. Nunc autem, ut primum ex utrisque
Alpium iugis uestrum numen effulsit, tota
Italia clarior lux diffusa, omnibus, qui suspe-
xerant, aequa admiratio atque dubitatio in-
iecta,

ticinia, referatur; sed illa differentia est nihili. Certe enim, uti uerbum simplex, *canere*, ita et compositum, *praecinere*, secundum optimos libros, sine discrimine scripturae utroque modo accipitur. Sic, si musici praecunt cum fidebus, aut praemoderantur ac praemonstrant modulos, item et ipsae fides, dicuntur *praecinere*. Cicero, *lib. III Tuscul. disp. cap. 2*: *Nec uero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod et deorum puluinaribus et epulis magistratum fides praecinunt. Nec minus dii et uates, qui futura praedicunt, dicuntur praecinere.* Cicero, *de Harusp. resp. cap. 10*: *Quis hoc tam nouo tantoque motu non magnam aliquid deos Populo Romano praemonstrare et praecinere fateatur?*

160. *Ut primum ex utrisque Alpium iugis. i. c. Cotiis et Iuliis.* Codex autem noster pro, *ut primum*, habet, *ut proximum*; sed non satis apte.

161. *Omnibus, qui suspexerant.* Verbum, *suspicere*, hoc loco proprie de iis dicitur, qui alte spectarant, et sursum ad montes, unde ueniebant isti Principes, oculos extulerant. Sic Cicero, *de Harusp. resp. cap. 9*: *Quis est tam uecors, qui, cum suspexerit in coelum, deos esse non sentiat?*

162. *Aequa admiratio atque dubitatio iniecta.* Vox, *aequa*,

iecta, quinam de illis montium uerticibus
 orirentur? an his gradibus in terras coelo de-
 scenderent? Vt uero propius propiusque coe- 5.
 pti estis agnosci; omnes agri oppleti, non
 homi-

aequa, in codice nostro omissa est, et forte non magnopere
 desideraretur, nisi in plurimis libris extaret. Liuius in
 ora libri sui notauit, pro ea in uetere codice legi, *atque*;
 at fortasse legi debere, *aeque*. Nos retinemus lectionem
 in omnibus reliquis libris uulgatam, et sic interpreta-
 mur: *par*, siue *aequalis*, et *aeque magna*, admiratio
 atque dubitatio etc. Sic Terentius, *Eunuch.* I, II, 12:
utinam esset mihi pars aequa (i. e. aequalis, siue aequae
 magna) *amoris tecum, aut pariter fieret*, etc. Sic et
 Silio, *lib. III, u. 192*, *non aequae Arcti* uocantur, i. e.
 non aequae magnae. Ad quem locum uide Cl. Draken-
 borchium. Cum autem in pluribus libris antehac lege-
 retur, *inuecta*; placuit nobis *iniecta*; quod diferte exprimit
 codex noster; quod similiter Liuius in suo uetere,
 et Bertiniensi codice, atque Puteanus in alio, inuenerant.
 Praeterea et Acidalius in notis suis sic iusserat legi; quam
 denique lectionem iam Iacobus de la Baune, et Cellarius,
 exhibuerunt. Sic uero et Cicero loquitur, *pro Cluentio*,
cap. 28: *Hic tum iniectus est hominibus scrupulus, et quae-*
dam dubitatio, quidnam esset actum? Superfedemus plures
 huius generis formulas referre.

163. *Quinam de illis.* Vulgo proditum est, et *qui-*
nam etc. Hinc Langius, Liuius, Gruterus, Baunius,
 et

hominibus modo ad uisendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus remota pascua

et Cellarius, efficiendum censuere, *ecquinam*. Sic etiam, *et quis*, atque *ecquis*, saepius alibi promiscue dici, ostendimus ad Panegyricum Plinii, *cap. XXXXVIII*, 3. et *LIII*, I. At, quoniam illud, *quinam* simpliciter positum in codice nostro, et altero Gudii libro, idque *et*, in simili formula a Cicerone, *pro Cluentio*; *cap. 28*, omisum est; nunc etiam praetermittendum existimauimus. Non uero nullius momenti suspicio est Gruteri, qui putauit, in particula, *de*, latere nomen, *dei*, siue *dii*, ita, ut maluerit legere, *quinam dei illis montium uerticibus orirentur?* qui enim credebantur istis gradibus *in terras coelo descendere*, non potuere non *dii* existimari. Grammatici autem plerique tradunt, *dei et dii*, in numero multitudinis utroque modo dici.

164. *Concursare inter se*. Tritum est, *conkursare*, hoc loco per usitatam enallagen dici, pro *conkursabant*. Idem etiam de sequentium uerborum *infinitiuus* est statuendum.

165. *Nuntiare ignotis uisa*. Olim ubique legebatur, *totis*: at in hac uoce ulcus uetus latet, cui remouendo nulli codices scripti, neque libri excusi, qui nobis hucusque innotuere, sufficiunt. Valent. Acidalius ad hunc locum haec commentatus est: *Possis interpretari, totis, omnibus; ut apud Apuleium aliquoties. Sed mihi placeat, magis scribi, nuntiare totis uicis. Siue etiam distinctionem mutari: concursare inter se agricolae, nuntiare; totis uicis arae incendi. Haec Acidalius. At Liuincius in ora libri sui annotauit, pro totis forte legendum, notis. Quae uox tunc demum locum habere posse uidetur, si noti pro amicis ponantur, uti apud Catullum,*
LXXX,

pascua et nemora linquentibus: concurrare
inter se agricolae, nuntiare *ignotis* uisa, arae
incen-

LXXX, 4. Verum magis placet prior Acidalii coniectura:
nuntiare *totis uicis*; dummodo huic coniecturae adstipulen-
tur ueteres quidam codices. Erenim, quod Cellarius ait,
Acidalio uideri potuit, *uicis*, excidisse, quod propter in-
sequentem uocem, *uisa*, iisdem fere apicibus constantem,
probabilius est, quasi pro una perperam repetita eum habuisse,
qui descripsit. Nobis in mentem uenit, pro *totis* primum fuisse
scriptum, *ignotis*, i. e. ignaris et nesciis. Quam huius uo-
cis notionem cum ignorarent, aut priores literas obsolescen-
tes forte non animaduertent, rudes librarii, primum repo-
suere, *notis*; sed et cum hanc sententiae panegyristae minus
congruentem putarent alii, interim hinc effinxere, *totis*.
Apprime autem huic loco conuenit, *ignotis*: quoniam,
ignotus, uulgo quidem passiuè dicitur, *incognitus*, seu, qui
aliis non est notus; nihilo minus tamen etiam a probatis
linguae Latinae auctoribus aliquando *actiue* is dicitur *ignotus*,
qui non nouit, et qui rerum est ignarus. Sic Phaedrus,
lib. I, fab. XI: Virtutis expers, uerbis iactans gloriam,
IGNOTOS (i. e. ignaros) *fallit, notis est derisui*. Quincti-
lianus, *declam. VI, cap. 2: Ne quis tamen erret ignotus,*
non est filii mei nouerca, sed mater. Ad quem locum uide-
fis Burmannum. Immo ipse Cicero, *lib. V ad famil. epist.*
XII, 22: Illi artifices corporis simulacra ignotis nota facie-
bant. Vbi, Manutio interprete, Cicero posuit, *ignotis*,
non pro iis, qui ignorarentur, sed qui ignorarent. Verum,
quamuis et haec coniectura nostra expectet suffragium codi-
cis

incendi, tura poni; uina libari, uictimae caedi, cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare; diis immortalibus laudes graesue cantari; non opinione traditus, sed conspicuus et praesens Iupiter cominus inuocari; non aduena, sed Imperator Hercules adorari.

cis antiqui; interim tamen eam, tanquam innoxiam, admittimus.

166. *Cuncta gaudio calere.* Quid si legas, salire? Cicero tamen, V *Philippica*: *Calebant interiore aedium parte.* et III *in Verrem*: *posteaquam satis calere res Rubrio uisa est.* Demosthenes *πρὸς τὸν ἄρκαδοῦ βασιλέα* dixit, *διὰ δεξιῶν αἰσθησῶν.* Et Portius Lacro *in Catilinam*: *Iudices, quorum aures caluerunt assiduitate pene quotidiana.* P. Faber Saniorianus, in notis editioni Puteani adiectis.

167. *Non opinione traditus.* Fictos et commentitios deos opponit praesentibus et conspicuis Augustis. *Cellarius.* Non Iupiter ille, qui deorum Rex esse per traditionem perhibetur; sed Diocletianus Iouius, Imperator, inuocatur: *Patarol.* Pro *inuocatur*, Liuineius e codice Bertinienfi annotauit, *aduocatur.* Vtrumque uerbum recte ad rei cultum refertur; sed non est, cur uulgatam lectionem reiciamus.

168. *Non aduena, sed Imperator Hercules.* i. e. non peregrinus et fabulosus Hercules, sed uerus Imperator, Maximianus Hercules, adoratur. Hercules enim, praeter tot alia cognomina, propter crebras peregrinationes etiam *aduena* et *uagus* cognominatus est.


Q 3949 * 8

Q 3949 $\frac{Q}{=}$

X 266 59 38

Retro V

Ant.





5

OBSERVATIONVM PHILOLOGICARVM
AD
CLAVDII MAMERTINI
PANEGYRICVM GENETHLIACVM
MAXIMIANO AVG. DICTVM

PARS TERTIA

QVAM

SVB PRAESIDIO

CHRISTIANI GOTTLIB. SCHVVARZII

COM. PAL. CAES. ACAD. ALTORF. SENIORIS ET P.P.
BIBLIOTHECARIJ ET INSPECTORIS NORICI

XIII IAN. A. S. R. CLOID CCXXXVIII

IN CYCLO ACADEMICO
EDISSERET

CAROLVS SCHRECK, LAVFFA NORIC.
PHIL. ET S. S. THEOL. CVLTOR.

ALTORFII NORICORVM
TYPIS IO. GEORGH MEYERI ACAD. TYPOGR.